



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm  
Capitum secundæ**

**Melanchthon, Philipp**

**Vitebergæ, 1561**

**VD16 M 3167**

Vidua eligatur &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

I. EPISTOLA AD

tum ex Diabolo est. Item 1. Timoth: 1. Militia bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam, Habent autem hi cuculi uidelicet & sopyoi magna uulnera conscientia.

Hæc breuiter hoc loco monuimus, ut considerent studiosi totam doctrinam de naturali sopyi, quæ quidem & commonefactrix est de amore æterni patris erga filium, & erga nos, & de amore filij erga naturam humanam quam assumpsit, & erga nos fratres. Hæc arcana & miranda opera Dei nunc procul aspiciamus, Sed in uita æterna propius cognoscemus.

*Vidua eligatur &c.*

**A** pud templum Ierosolymæ fuerunt mulieres, quæ seruibant coquendo, lauando, sarcinendis uestibus, medicatione, Leuitis, & pauperibus. Hunc morem Apostoli imitati transfulerunt & ad Ecclesiam, iusserunt eligi grandes natu matronas, quæ ægrotis aut peregrinis seruirent, Et hæc mercedes habebant ex Eleemosynis quas Ecclesia tunc liberaliter conferebat. De hoc more loquitur Paulus, non de uotis Monasticis, ac cætera perspicua sunt.

Sed de uotis Monasticis hoc loco ualde uociferantur aduersarij, quia Paulus uideatur dicitur rærare contrahentes coniugia post uotum, cum

Dicitur

*Damnationem habentes, quia primam fidem irritam fecerunt.* Etsi autem multe firmæ responsiones sunt, tamen hanc præcipuè teneamus. Etiam si tunc consuetudo fuisset faciendi uota, quod non dicit Paulus, tamen ea uota dissimilima fuissent uotis Monasticis, quæ sine ulla dubitatione sunt idolatrica.

Tenenda est igitur regula uera & immota, Vota quæ obligant ad cultus idolorum aut ad alia peccata facienda certissimum est irrita esse, ut si quis obligasset se sacrificaturum Iunoni ad impetrandas diuitias, Quia manifesta est uox primi mandati Exod: 20. Non habebis Deos alienos. Item 1. Corinth: 11. Fugite Idola.

Talia sunt autem uota Monastica iam multis seculis, Primum opiniones impiæ sunt, ac furores potius, fingere ritus Monasticos mereri remissionem peccatorum, esse iusticiam, esse cultus Dei, esse perfectionem Euangelicam. Secundo manifesta Idola sunt oblatio pro uiuis & mortuis in Missa, item inuocatio hominum mortuorum, & aliæ multe superstitiones, quæ usitatae sunt in Monasterijs.

Nequaquam igitur detorquendum est Pauli dictum ad uota Monastica horum recentium temporum, in quibus multa manifesta Idola sunt.

Nec

I. EPISTOLA AD

Nec prima fides significat uotum cœlibatus, sed aut fidem qua promiserant fidelitatem in seruiendo, aut fidem Christianam, qua omnes articulos fidei amplectebantur. Nam hanc quoque aliaque curiose & salaces mulieres abiciebant, quæ nactæ talia officia magis uagabantur, Et cum multis ueniebant in colloquia, & quia habebant mercedes aliunde, uictitabant largius & indulgebant uoluptatibus.

Non igitur damnat Paulus nuptias, sed damnat uel ipsam fidei desertionem, uel alia peccata quæ salacitatem & curiositatem sequebantur. Vsus est Paulus uerbis significantibus  $\sigma\tau\alpha\tau\alpha\lambda\omega\sigma\alpha$ , id est, delicijs affluens & lasciuiæ indulgens, Hæc inquit, uiuens mortua est, scilicet propter lasciuiam,  $\omega\tau\alpha\tau\omega$  apud Aristophanem significat prodigaliter profundo, inde  $\omega\tau\alpha\tau\omega$  profusiones & deliciae, ut Suidas citat dictum, Nunc saltant mures fruentes delitijs carne scilicet.

Sunt autem uirtutes uicina frugalitas, temperantia & continentia, Vt in apibus simul hæ tres uirtutes imprimis conspicuæ sunt, Sunt autem & per sese res bonæ, & Deo gratæ, & sunt nutrices aliarum maiorum uirtutum, sapientiæ, iusticiæ, fortitudinis. Sunt & uicia uicina prodigalitas intemperantia & incontinentia, & in mulieribus

mulieribus hæc deformitas conspectior est, quia mulieris officium est in œconomia res partas fideliter custodire, & ad necessarios usus arte electas parce promere. De intemperantia dicitur, Quid enim Venus ebria curat.

Existimo autem Paulum ad descriptiones aliquas tunc notas allusisse, quia uerba illustria Comœdiarum sumit, Nam & sequens uerbum insigne est, cum saginatae sunt ex ipsis eleemosynis cōtra CHRISTVM, Verbum *συνίειν* est helluari, ingluuie onerari, ut apud Athenicum, Helluatus sum absumpto cibo quatuor elephantorum, Et in Apocalypsi capite 18. Reges qui cum ea scortati & helluati sunt.

Sunt & alia uerba hinc insignia quorum pondera lector si obseruabit, intelliget Paulum sapienter significare quæ sint propriae matronarum uirtutes, & quæ sint contraria uicia. Hæc considerare utile est, & fugienda Sophistica, quæ maliciôsè & stultè detorquet Paulum ad stabilendas impias & fatuas superstitiones Monasteriorum. Expressè inquit Paulus, Volo iuniores nubere, esse matres & nutrices familiarum. Hic aptè recenset præcipua officia sexus mulieris, de quibus & supra dictum est

est

I. EPISTOLA AD

est in sententia, Saluabitur mulier per filiorum generationem. Nec addo longiorem enarrationem: extant enim multa economica scripta, quae & nosse & sequi multos oportebat.

*Duplici honore digni ducantur.*

Id est uictu, & reuerentia. Hec cur discernat considerandum est, Ac primum debere uictum docentibus manifestum est, iuxta praeceptum Domini Lucae 10. Dignus est operarius mercede, hic Paulus accommodat dictum in Lege Deut: 25.

*Non ligabis os boui trituranti,* quod ritus imago fuit significans, ut mercedes debent laborantibus soluantur, sicut expresse praecipit Lex Leuit: 19. Non retineas mercedem operarii apud te in crastinum.

Ac pertinet haec cura ad gubernatores, & Pastores Ecclesiarum, & ceteris qui seruiant studijs Ecclesiae docendo, & discendo, de publico auxilium feratur, sicut in Esaia capite 49. & sic dicitur: Reges erunt nutritores tui, et reginae matres.

Altera pars est reuerentia cuius multi gradus, Primus & maximè necessarius est obedientia in his quae ad ministerium Euangelij pertinent, iuxta haec dicta Lucae 10. Qui uos audit, me audit, Qui uos spernit me spernit. Item Hebraei

Hebræos capite 13. Obedite et subditi estote præpositis uestris.

Etsi enim hæc dicta non constituunt regna Pastoribus extra Euangelium, tamen affirmant deberi pastoribus obedientiam in his quæ sunt propria ministerij Euangelici, Nec spernenda sunt hæc sæuerissima præcepta.

Deinde accedant ad externam obedientiam & alij gradus in mente, Bona opinio de toto ministerio & de ipsis pastoribus, & beneuolentia erga eos, Quia sine his interioribus uirtutibus externa obedientia est hypocrisis, non sit contemptus in animis, non sit odium sicut Paulus inquit 1. Corinth. 4. Apostolos in odio esse tanquam καθάρματα.

Etsi autem semper multi fuerunt, sunt et erunt de ministerio irreuerenter sentientes, Tamen saniores intelligant eius dignitatem. Est autem dignitas ipsa rei bonitas, quæ in causa efficiente & finali conspicitur, Causa efficiens & conseruans ministerij Euangelici, est ipse Deus immensa bonitate uoce Euangelij colligens æternam Ecclesiam, & genus humanum auulsum ab ipso rursus sibi copulans. Qui quidem præcipit audiri ac uenerari ministerium, ut supra dictum est.

Causa finalis est quod hac uoce Deus uerissime est efficax, remittit peccata credentibus, dat

L cis

I. EPISTOLA AD

eis Spiritum sanctum, & facit heredes uite eter-  
ne. Hæc summa beneficia impertit per uocem  
Euangelij sonantem etiam per miserimos homi-  
nes, sicut inquit Dominus Ioan: 20. Sicut pater  
meus misit me, sic ego mitto uos, id est, certissi-  
mum est me efficacem fore per uos, sicut pater  
per me fuit efficax, ut resuscitatio ex morte osten-  
dit, ita & Paulus inquit Roman: 1. Euangelium  
est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item,  
2 Corinth: 3. Euangelium est ministerium Spiritus.

Hæc dicta erant magis perspicua cum in ue-  
ris consolationibus discemus uera exercitia fidei,  
& sustentabimus nos cogitatione promissionum.  
Hunc usum ministerij abijciunt Enthusiasta, quales  
sunt Anabaptista, Stenckfeldius & similes,  
qui querunt illuminationes & raptus extra Eu-  
angelium. Sed in ueris doloribus & uera con-  
solatione discimus Deum efficacem esse cogita-  
one Euangelij, ut Paulus inquit Roman: 10. Fides  
ex auditu est. Item, Rom: 5. Iustificati fide pacem  
habemus.

Simul igitur Deo gratias agamus pro eadem  
promissione, pro efficacia per Euangelium, pro  
constitutione, conseruatione, & instauratione  
ministerij Euangelici, pro collectione Ecclesie per  
Euangelium & Spiritum sanctum, pro donatione  
iustitiae



injusticiæ & uitæ aternæ, pro mitigatione pœnarum presentium, pro remissione pœnæ aternæ. Hæc tanta bona agnoscamus, & celebremus, præstemus etiam beneuolentiam debitam ijs, quorum labor in hoc ministerio pio seruit Ecclesiæ.

*Sine præiudicio &c.*

**O**rdinat forensia quædam, quæ cum & natura nota & in Lege Dei expressa sunt, & in iure usitato repetuntur, non sunt obscura. Iuniores uocabula discant intelligere. Præiudicium significat statuere re nondum ordine cognita, siue id fiat affectu, siue persuasione propriæ sapientiæ. Ita Deutero. 16. expressè mandatum est, Audite illos, & quod iustum est iudicate. Et nota sunt dicta μήδε δίκλω δικάσας πρίν ἀμφοῖν μῦτον ἀκρόσῃς. Item, δὲ ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι.

Et quia sæpe corrumpuntur iudicia affectibus, ideo addit: Nihil facias secundum inclinationem, id est, non discedas à regula iusticiæ ullo priuato affectu. Sic potest accidere uel superbia, cum non uult quispiam cedere alienæ sententiæ, etiamsi uoluntas erga partes æqualis est, uel cum uoluntas non æqualis est erga partes, id nominatur προσωποληψία. Species igitur plures